

"The Norbertine Cry"

Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.

Valle mihi Praemonstratum quae nomina nota
Hac magis arrisit, nullus in orbe locus:
Quae me suscepit juvenem, fovitque benigno
Laeto sinu; tutumque mihi perfugium
Illecebras contra mundi, quae Relligioni
Me Norbertoeae vota vovere dedit.
Hic mihi Moecenas almus, tu Petre, fuisti[1]
Dignatus studiis plaudere saepe meis.
Hic mihi Moecenas plus quam, Guillelme, fuisti[2]
Qui pater et custor, quin et amicus eras.
Lustra duo quae inibi tecum, Guillelme, peregri
Tempora sunt vitae candidora meae.
Non unquam studiosa magis fuit optima mater
Prolis dilectae, quam tibi carus eram.
Ah! quoties recubans quercus sub fronde virenti
Vel fagi patulae, cespiteve in tenero,
Ah! quoties peragrans umbrosa cacumina montis
Te socio, vallis vel sinuosa sacrae,
Eloquii ipse tui mira dulcedine captus,
Haustu sorbebam suavia dicta avido,
Dum pertractabas veterum documenta sophorum
Aut ea quae condunt et pia scripta patrum.
Una vel Flaccum volvendo, Virgiliumve
Dulci musarum nectare potus eram.
O quantum dolui immitis cum te rapuit mors!
Visa mihi potior pars perisse mei
Nec luctum minuit, potius quin luctus adauctus
Quod votis fratrum, qua redimitus eras
Inclyta, te moriente, meum caput infula cinxit,
Ordinis et curae praepositus fuerim.
Grandis honos certe! magno verumtamen emptus,
Qui nostrum excidiuum cernere natus eram
O vallis dilecta mihi quae nunc tua sors est!
Quae tua sors! quondam relligione patrum
Consecrata Deo... civili Gallia nostra
Concutitur motu; seditione furens
Incautum trahitur magna in discrimina vulgus.
Jam nutant leges, nutat et arbitrium
Reis; mox turbam penes est dominatio tota.
Dicere quis valeat damna quot inde ruant?
Relligio quassatur avita, modo expoliatur
Clerus; venduntur quae dederat pietas

Quae labor attulerat sapiens vel gestio rerum;
Et possessores nos abitig cupidus
E propriis emptor <<veteres migrate coloni;>>
A saeclis frustra vos inibi seritis.
Vadite: maternam messem[3] sibi colligit alter.
Vadite, contemptus diraque pauperies,
Exilium, carcer, gemitus, mors forsan et ipsa
Pro longis meritis praemia vestra manent.
Siccine concives[4]! pejus quis spectet ab hoste?
O Praemonstratum! Tu, venerande loce,
Cum te Norberto dabat olim Bartholomaeus[5],
Hic ut sancta domus surgeret, atque Deo
Servirent in ea famulantes laude perenni
Mystarum chori, quis putet in fabricam
Vilem[6] aliquando tuum auderent convertere templum?
Efferā sed quid non nititur impietas?
O vallis dilecta mihi, tu cantibus olim
Propulsata sacris, quos nemus ingeminat,
Nunc sacros nec habet cantus unumve sacellum[7],
Nuc tibi non hymnus, non pia lausve Deo.
Nil sanctum; non hos quaesitum munus in usus.
Vallis amata nimis, voce carebo prius
Quam miminisse tui, quam de te plangere cessem.
Vallis, supremum nunc tibi dico vale.
Colles frondosi, fontes et stagna valete,
Gaudia nostra diu: tu quoque, sylva, vale.

*Plangebat suisque
Dicabat fratribus
B L. Abb. Praem: octogenarius, tertia julii ann. 1820.*

NOTAE:

[1] Petrus Antonius Parchappe de Vinae Sparnacensis, Doctor Sorbonicus, tunc abbas Praemonstrati; obiit 4-Martii anno 1769, aetatis 70.

[2] Guillelmus Manoury Elbotesis, successor Petri, abbas meus, cui per decem annos fui a secretis, vir concinnae litteraturae et exquisiti judicii, obiit 18 Julii 1780, aetatis 68.

[3] Maternam utpote Ecclesiae matris cui bona dabantur sub hace formula: Do Ecclesiae et fratribus ibidem servientibus etc.

[4] Vidi quosdam ex nostris ad xenodochia recurrere coactos in aegritudine sua et ibi diem claudere ultimum. Scio alios in navigiis reclusos, ibidem inedia et omni genere

miseriarum consumptos; plurimos in regiones exteriores deportatos; omnes tali pensione donatos qua pro salario contentus non esset vel minimus servulus.

[5] Bartholomaeus Episcopus Laudunensis, qui territorium Praemonstrati a monachis S. Vincentii emit deditque D. Norberto.

[6] Praemonstratum, insignis canonia, nunc in fabricam vitrariam transmutata.

[7] Ipsa aedicula, olim parochialis, divendita est, usibus profanis devota, ita ut in eo loco, ubi per sexcentos septuaginta annos jugis personavit oratio, nullum jam, eheu! religiosi cultus supersit vestigium.

FONTES:

- A. MSS. de la Biblioth. de Laon. Res Praemonstratenses
- B. Madeleine, Vie de Saint Norbert, p. 550-552